

quam alio, indicet; merito præmittimus verba, sensumque, & explicationem, quam hunc ad locum copiosas exposuit, ut qui cupimus, quæ ipsius, de sessione Jesu Christi in dextra Dei, sententia sit & declaratio, cognoscere. Non tamen ideo non erunt **conferendæ**, quas locis etiam diversis, dedit vel succinctiores expositiones, vel clariores.

§. 3. Hic ergo, celebris inter Pontificios, interpres, Commentarii sui in Epistolas Paulinas, pagina 637. cum exponere vellet: *quomodo hic & alibi in scriptura & Symbolo dicatur Christus sedere, an re ad dextram Dei?* hæc subjicit: *Suppono, sedere, hic non sumi proprie? prie: nam hæc esset exilis Christi dignitas. Imo potius in cælo videtur stare Christus, quam sedere; stare enim visus est a Stephano, Actor. VII, 56. & hic situs magis naturalis est homini, decetque valentem & beatum; sessio vero competit homini ob fatigationem.* Omissa ergo Anthropomorphitarum hæresi, qui Deum corporeum esse dicebant, & Christum corporaliter adejus dextram sedere &c. Idem tamen Comment. in Act. VII. p. 147. explicat, Christum dici stare, 1. quia hic situs est naturalis corporis valentis & glorioſi &c. 2. stat quasi miles & dux, cum, & pro Stephano pugnaturus contra Iudeos &c. Ferunt Alexandrum Magnum prandere solitum ad tibias, cumque tibicines mutato tono delicioſo bellum intonarent, subito arrectum sine sensu corripuisse lanceam; quod evidens erat indicium pugnacis animi & virtutis imperatoria. Longe verius Christus in cælo empyræo deliciis affluens, suorum fidelium rebus & luctis ita intendit, ut simul ac increpuerit luctantium clamor, illico a deliciis assurgat ad arma. Stat ergo hic armatus omnipotentia sua, ut Stephanum Iudeis insuperabilem reddat. 3. stat Christus quasi advocatus, & quasi sacerdos Stephanum in martyrio, quasi victimam & holocaustum suavissimum Patri oblaturus &c. 4. stat quasi agonotheta, ut animam Stephani victoris cum triumpho excipiat &c.

§. 4. Poteramus his, & recensendis, & discutiendis, super sedere, quando certum est utrinque, atque positum extra controversiam, **sedere**, proprie & naturali modo, non dici Christum in dextra Dei, regnumque potius, & dominium, hac voce & phraſi, ostendi. Miseret tamen multa Cornelius, quæ vel non cohærent, vel etiam, sedente in dextra Dei Christo, indigna sunt. **Resp. 1.** Suis enim ipſe videtur somniis delectari. 1. Non **sedet** proprie,
quia